



INDEX DISPUTATIONUM

- XII Dissput. vide p. 4  
 sub Praesidio S. Frid. Bal  
 duini.
- 
- 13 De verbis testamenti Iesu  
 Christi filii Dei, hoc est  
 corpus meum, hoc est sanguis  
 meus Pr. Balduin.
- 14 De Prae destinatione  
 Pr. D. Jos. Gerhardi
- 15 Oratio de Friderico Myco,  
 nio Theologo constanti. et  
 primo Thuringorum Evangelista  
 sub D. Ant. Lubo
- 16 De Dei et Christi Oratio  
 our Mediatoris nostri, apud  
 creaturas gubernandas  
 universali et speciali pre  
 sentia. D. Bal. Mentzner  
 D. Iust. Feurbornii
- 17 Absterfio Calumniarum  
 Jos. Covcii. Pr. Balb.  
 Mentzneri.
- 18 De Baptismo conclusionibus  
 comitatus. Pr. D.  
 Petri Piscatoris
- 19 De persona Iesu Christi ser  
 vatoris nostri Pr. D. Ambro.  
 Reudenio
- 20 De Baptismo initiationis  
 Sacramento Pr. D. Georgii  
 Mylii.
- 21 De visitatione eccle  
 siastica Pr. D. Georgii  
 Mylii.
- 22 Carolestadius redivivus  
 contra Calvianos Pr. D.  
 Georgii Mylii.
- 23 De verbo Dei scripto,  
 et traditionibus non  
 scriptis. in Disputatione  
 X distributa. sub Praes.  
 D. Leonhardi Huteri.
- Indice decem Disputationum  
 vide p. 2. in disp. 1.
- 34 Threnologia de obitu  
 Principis Friderici Wilhelmii  
 Huteri D. Georgio Mylio.
- 35 Panegyris Actus Doctorei  
 juncti consulti in se Jos.  
 Stigeli et alii de inaugu  
 ratione Acad. Salanae.
- 36 Modus inveniendae Concordiae  
 in controvers. De electione ad  
 vitam a Sam. Huteri D.  
 2 in morte Principis Saxoniae
- 37 Ad Tragediam Virgilianam  
 de Aenea et Lavinia
- 38 166 Selectiones Epistolae D.  
 Ph. Melanesthonis ad D. Frid.  
 Myconium conscriptae et
- 39 De viro sancto Martino  
 Lutbero.
- 40 Votum nuptiale

DISPUTATIO THEOLOGICA X. 34

De

AUTORITATE PATRUM  
ET CONCILIORVM,

Quam Spiritu Sancto favente

SVB PRÆSIDIO

Reverendi & clarissimi viri,  
Dn. LEONHARTI HUTTERI,  
S. Theol. D. & Professoris in celebri Academiâ  
V Vitebergensi Publici discutiendam  
proponit

M. ÆGIDIVS STRAVCHIVS,  
V Vitebergensis.

Ad diem 7. Maij horâ 6. matutinâ.



VVITEBERGÆ

Typis Cratonianis per Iohann. Gorman.

---

Anno M. DC. VI.



Reverendo & Magnifico,

Deq; Ecclesia Christi præclarissimè  
merito Viro,

Dn. POLYCARPOLYSERO, S.S.  
THEOLOGIAE DOCTORI EXCEL-  
lentissimo, & aræ Electoralis Saxo-  
nicæ antistiti primario, dignissimo;

*Domino, Patrono ac Promotori meo, quasi pa-  
renti observandissimo,*

*Ἐξέτασιν* hanc Theologicam debitæ observan-  
tiæ & gratitudinis ergò

*offero*

*ac*

*consecro,*

M. Ægidius Strauchius  
V Vitebergensis.



## Disputatio X.

De  
**AUTORITATE PA-  
TRVM ET CONCILIO.**  
R V M.

### THESIS I.

**N** more positum esse falsis doctoribus, ut suorum dogmatum probationem in Scripturis non cōtineri cernentes scripturarū autoritate infallibili reiecta ad traditiones, scripta patrum & decreta conciliorum confugiant, inq; ijs caussa sua prasidium quarant, historia non tantum Evangelica exemplo Pharisaeorum, sed etiam Ecclesiastica exemplo Donatistarum aliorumq; hereticorum, manifestissimum facit.

### II.

Illi enim quicquid de mundano Messiae regno, de meritis operum, de externa quadam disciplina legi Dei abunde satisfaciente, de Elia Thesbite à caelo in terras redituro conceperant, imò quicquid adhuc hodiè perfidi Iudaei de duplici Messia, de adventu Messiae ob insigne aliquod gentis Iudaica peccatum hucusq; dilato nugantur, illud omne non ex Scripturis, sed contra Scripturas ex traditionibus & Rabinorum autoritate petitum est: Hi verò semper ad autoritatē Cypriani provocabant, nihilq; prater Cyprianum in ore habebant: quem ad-

12

modum

Iohan. 12.

Matth. 16 &

18.

Luc. 22. & 24.

lib. 2. contra

Donat. cap. 3.

modum & alij heretici, aliorum auctoritatem & traditiones  
suis placitis pratendere studebant.

III.

Tannerus in re-  
lat. historica.

Eadem penitus ratione Romanenses, Donatistis & Iudais  
nihil meliores, in scripturis se iam dudum condemnatos esse  
animadvertentes, imò de causâ suâ, si à solius scriptura judi-  
cio standum esset, penitus desperantes, non scripturam pro nor-  
ma & iudice controversiarum recipiunt, sed præter scripturâ  
alias pseudonormas Traditiones, Patres & Concilia commi-  
niscuntur.

IV.

Quia itaq; hætenus de unico & supremo controversiarum  
iudice, simul etiã de prima pseudonorma, Traditionibus vide-  
licet, actum est, iam cum Deo, de duabus posterioribus agere  
constituimus, paucis ostensuri, quantum reverentia & auctori-  
tatis patrum scriptis ac conciliorum decretis ab Ecclesia Dei tri-  
buendum sit.

V.

Initiò autem, ut Iesuitis statum controversiæ in hac questione  
variè inflectentibus, omnis elabendi rima præcludatur, prote-  
stamur non hoc à nobis in controversiã vocari, An scripta patrũ  
utiliter legi, an concilia de causis religionis legitimè convoca-  
ri, neq; etiã an scripta orthodoxorum patrum, & Decreta legi-  
timorum conciliorum ad ostendendum antiquitatis consen-  
sum in questionibus Theologicis rationibus è scriptura peritis  
adjungi possint, sed An scripta patrum & Decreta conciliorum  
pro norma & iudice controversiarum accipienda sint, & num  
Patres ac Concilia non ad scripturam examinanda, sed potius  
verus scripturarum sensus ex patribus & concilijs infallibili-  
ter eruendus sit, ubi Pontificij affirmantem, nos vero negan-  
tem partem tuemur.

VI.

Ac de priori quidem parte quoad patres, sic Bellarminus  
philo-

philosophatur. Ex testimonijs patrū apertè cognoscitur, quæ fuerit sententia & fides eius Ecclesiæ, quam omnes fatentur veram Christi Ecclesiam fuisse, & veram de Sacramentis fidem, ac doctrinam habuisse. Quocirca ex illis colligitur argumentū firmissimum & infallibile pro veritate. Cui concinit etiam Grotserus his verbis: Vnanimem patrum consensum ad scripturam examinare non est opus, cum ab ea nec discrepet, nec discrepare possit.

VII.

Blasphemias hæc Iesuitarum voces esse, tum ipsa scriptura, tum rationes ex scriptura petite, tum tandem ipsi patres apertissime edocent.

VIII.

David enim reiectis Doctoribus & Senioribus soli verbo Dei tribuit suam in divinis sapientiam; Abraham divitis epulonis fratres ad Moysen & Prophetas non ad patres ablegat; Esaias ad legem & testimonium provocat, omnibusque qui non dixerunt secundum verbum hoc usuram lucis matutina denegat; Paulus pacem & misericordiam promittit omnibus ijs, qui secundum hunc canonem ingressi fuerint; Dominus per Ezechielem nos in præceptis suis, non in præceptis patrum nostrorum ambulare jubet.

IX.

Deinde si scripta patrum penitus infallibilia essent, patres ipsis Apostolis, qui soli post acceptum in die Pentecostes Spiritum Sanctum hoc testimonio, quod in rebus fidem concernentibus errare non potuerint, ornati sunt, qui soli τὸ πνεύματ' & αἰγὶς φερόμενοι locuti sunt, qui soli anathematis fulmine jure percutiunt eos, qui contrarium docent, æquiparantur.

X.

Illud siquidem discrimen quod Esavita comminiscuntur, quod Apostoli in docendo & scribendo, tanquam calami scribæ velociter scribentis non tam egerint, quam acti fuerint, omnino fictitium & accidentarium est.

lib 1. de Sacram.  
Euch. in præfat.

In resp. ad Theses  
Hunnij cap. 15.

Psal. 119, 99.

Luc. 16, 29.

Esa. 8, 20.

Gal. 6, 15.

Ezech. 20, 18.

& 19.

2. Pet. 1, 21.

Gal. 1, 8.

XI.

Nam si quoad maiestatem & infallibilitatem par est ratio scriptorum patrum & Apostolorum, ex maiori vel minori velocitate, nullum inter ea essenziale discrimen constitui posse, vel Philosophus ex trito illo Magis & Minus non variant speciem, colligeret.

XII.

Aliud proinde discrimen præter illud, quod ex infallibilitate & autoritate petitum est, constitui non potest, quod Apostoli à Spiritu Sancto immediatè edocti & generales totius orbis doctores constituti, creare non potuerint. Patres verò hac prærogativa destituti, errare non saltem potuerint, sed etiam in gravissimos errores nonnunquam prolapsi fuerint, quod discrimen quando convellitur, patres cum Apostolis in pari honore habentur.

XIII.

Et certè quàm graviter interdum patres hallucinati fuerint edocent ipsorum monumenta, edocet historia Ecclesiastica: Sic patres Ecclesie Romanæ cœnam infantibus porrigebant, Cyprianus ab hæreticis baptizatos rebaptizandos indicabat, Hieronymus secundas nuptias in eodem censu cum scortatione habebat, ut iam nihil de Augustino, Origene, Tertulliano & alijs dicam, quos per sepe humani aliquid passos esse, & in ipsum fundamentum fidei haud leviter imegisse, ne ipsi pontificij, nisi omnis pudoris terminos egressi fuerint, negare poterunt.

XIV.

Hinc enim & ipsi scriptores Pontificij in patrum opinionibus examinandis & reijciendis tam copiosi sunt, uti cuiusvis Bellarmini & sociorum opera penitiùs ac sine præiudicio introspicienti clarissimum erit.

XV.

Nec obstat quod Esavita unum atq; alterum solum patrè errare potuisse, omnes verò in universum sumptos gratia Spiritus sancti ita cõfirmatos esse, ut in errorem induci penitus

non



non potuerint: Nam praterquam quod si singuli errare potuerunt, etiam omnes errare potuisse certò inferatur, cum illi omnes ex singulis colligantur, neq; ullibi extra eosdem reperiantur; etiam omnes simul sumptos errare potuisse, exemplo patrum Iudaicorum, qui universi & singuli corporale Messia regnum sibi imaginabantur, constat, quod ipsum Deus ceu praevidens prohibuit, in iudicio plurimorum sententia acquiescere.

XVI.

Ac quí quæso de consensu omnium patrum certi esse possemus, nisi prius omnibus eorum scriptis evolutis, quod quãti sit futurum laboris & molestia, ex suffragijs patrum circa unicam aliquam questionem collectis conijcere quàm promissimum est.

XVII.

Imponeretur certè iugum Ecclesie Dei penitus intolerabile, & longè gravius iugo Ecclesie Iudaica: tolleretur omnis fidei ἀληθοφoρiα, cum saepe in quaestionis alicuius explicatione, patres adeò inter se dissentiant ut vix duo inter se consentire videantur: Hic itaq; dubitandum semper foret, cui nam dissentientium adhaerere debeamus.

XVIII.

Imò si unanimis patrum consensus ad stabilienda dogmata necessariò requireretur, jam de plerisq; pontificiorum dogmatibus actum esset. Vbi enim de Indulgentijs Papalibus, de peregrinationibus ad statuas, de invocatione Sanctorum, de baptizatiōe campanarum, de purgatorio, à patribus consentienter scriptum est?

XIX.

Hinc & ipsi patres sua scripta non pro infallibili norma haberi, sed ad scripturam sacram tanquam lapidem Lydiū omnisq; veritatis fontem examinari volunt. Sic enim Augustinus Donatistis auctoritatem Cypriani sibi obijcientibus respondit: Nos nullam Cypriano facimus iniuriam, cum eius quaslibet literas

Exod. 23. 2.

lib. 2. contra  
Crescon. Gram.  
cap. 52.

litteras à canonica divinarum scripturarum distinguimus, neque enim sine causa tam salubri vigilantia canon ecclesiasticus constitutus est ad quem certi Prophetarum & Apostolorum libri pertinent, quos omninò judicare non audeamus & secundum quos de ceteris literis fidelium & infidelium liberè judicemus.

XX.

In Matth. tract.  
26.

lib. de Spiritu  
Sancto cap. 7.

Item Origenes Alexandrinus: Nemo uti debet ad confirmationem dogmatum libris, qui sunt extra canonizatas scripturas: Lactantius lib. 5. divinar. Institut. cap. 20. In negotio religionis non valet quicquam mortalis hominis autoritas sed divinis testimonijs confirmanda sunt dogmata: Sic Basilius Magnus: Quod itaq; patres nostri dixerunt, & nos etiam dicimus, quod gloria communis est Patri & Filio &c. At non hoc nobis sufficit, quod patrum est traditio. Nam & illi auctoritatem scriptura secuti sunt.

XXI.

In Genes. lib. 3.  
cap. 2. quest. 5.

Quid quod inter Pontificios Pererius veritatis splendore victus, auctoritatem patrum rejiciat his verbis: Irenaeus affirmat se quod de paradiso tradit à presbyteris Asia, discipulis Apostolorum accepisse. Sed quid tum postea? An ideo quodcumq; ab istis presbyteris proditum est tanquam certum & indubitatum doctrina Christiana dogma haberi debet? Nonne constat istos ipsos presbyteros eodem referente Irenaeo, quadam & falsa & divinis literis contraria docuisse?

XXII.

Cum itaq; Deus ad scripturas nos ableget ipsiq; patres varijs erroribus obnoxij, sua scripta ad scripturam examinari petant, non poterimus eadem pro infallibili norma recipere aut etiam certum scriptura sensum ex ijs infallibiliter colligere, sed ad unicam scripturam sacram confugiemus, accu Augustino dicemus: Ad auctoritatem dogmatum fidei in Ecclesia non valet, Hæc ego dico, hæc tu dicit, hæc ille dicit: sed hæc dicit

dicit Dominus: & cum Gratiano; Consuetudo sine verbo Dei non est veritas sed erroris vetustas: & cum Cypriano Non attendendum est, quid aliquis ante nos fecerit, sed quid ille, qui ante omnes est, faciendum & docuerit & mandavit.

XXIII.

Eo ipso tamen patribus nihil omnino detrahimus uti quidem calumniatur pontificij, de quibus verè illud Augustini de Petiliano usurpari potest, quod si n̄ male dici conviciatores non veridici disputatores; sed eorundē canitiem, salva tamen scriptura sacra præminencia, & fidei sinceritate, reverenter tractantes illorum scripta quatenus ad cynosuram verbi divini congruunt, grata mente usurpamus, ac eo loco habemus, quo Spiritus Sanctus, quo ipsi etiam Patres eadem haberi voluerunt.

lib. 2. contra  
Petil. cap. 32.

XXIV.

Quoad postremam pseudonormam Concilia videlicet ea pontificij non solum equiparant, sed etiam anteponunt scriptura passim scriptitantes concilia non ad scripturam examinanda esse, sed scriptura verum ac genuinum sensum è concilijs petendum esse, concilia esse fundamentum fidei, scripturam quoad nos omnem suam autoritatem habere ex conciliorum decretis, eundem honorem deferendum quatuor concilijs & quatuor Evangelijs uti loquitur Gregorius.

Bellarmin. lib. 1.  
de concil.

Gregor lib. 1.  
epist. 24.

XXV.

Qua sententia quid posset dici absurdius? quid magis impium, quid magis blasphemum? certè si nullum aliud nobis suppeteret argumentum: quo pontificem Romanum ipsissimū Antichristum esse demonstrare possemus, hoc unicum sufficeret, adimplens quippe sic notam illam quam in Antichristo requirit Paulus; ut nimirum esset at se adversus omnem, qui dicitur Deus, & se Deum esse ostentet.

2. Thessal. 2, 4.

XXVI.

Lubentes sanè contra Nazianzenum in epistola ad Procopium

B

copium

copium, se constituisse deinceps nulli Synodo interesse, eò quod nullum vidisset utilem & salutarem Synodi alicuius exitum, scribentem, magnam synodorum ad synceram religionem propagandam, hereses refutandas, animos coniungendos & utilitatem & auctoritatem esse concedimus, uti ex concilijs, Hierosolymitano, Niceno & alijs manifestum evadit.

XXVII.

Interim tamen, si conciliorum auctoritas cum auctoritate, scriptura comparetur, dicimus illam hac longè inferiorem esse, neque posse concilia vel normam ac regulam fidei infallibilem esse, vel de scripturarum sententia pratoriâ potestate pronunciare, his freti rationibus:

XXVIII.

Rom. 1.2. 6.

Primò enim Scriptura omnem prophetiam seu interpretationem scriptura jubet fidei esse analogam, Fidei fundamentum dicit solum verbum Dei 1. Cor. 2. & 5. Ephes. 2, 20. Rom. 1, 16 & 10, 17. Scripturam ἰδίως Πηλὸς non esse 2. Pet. 1, v. 20. Scripturam solum perfectum reddere Dei hominem ad omne opus bonum paratum, 2. Tim. 3, 17. vult nos attendere sermoni prophetico firmiori tanquam lucerna lucenti in loco caliginoso. 2. Pet. 1, 19.

XXIX.

Matth. 4. & 23.  
Iohan. 8. & 10.

Deinde idem etiam edocet praxis Christi, Apostolorum & primitiva Ecclesia purioris. Salvator enim cum adversarijs suis congressurus non ad concilia, sed tantum ad scripturam provocat, hocq; unico gladio. Sic SCRIPTVM EST, Diabolum omnesq; adversarios prosternit.

XXX.

Hoc praeceptoris sui exemplum secuti Apostoli non solum in scriptis suis articulum aliquem fidei confirmatum semper scriptu-

scriptura, non conciliorum auctoritatem urserunt, ut articulum de justificatione Rom. 3 & 4. de aeterna filiorum DE I ad salutem praedestinatione, Rom. 9, 10 & 11. de mortuorum resurrectione I. Cor. 15.

XXXI.

Sed etiam in primo concilio Hierosolymitano tantum ex scriptura, de gratuita nostra justificatione coram DEO, de abrogatione legum ceremonialium & forensium, de libertate Christiana, de disciplina Ecclesiastica, certi quid definiuerunt, subinde in ore habentes illud, visum est Spiritui sancto &c. & huic consonant verba Prophetarum.

Act. 15. 28,  
& 15.

XXXII.

Sic ijdem Apostoli absque concilijs sola virtute verbi divini plures haereticos damnarunt, Petrus Simonem Magum  $\mu\alpha\tau\acute{\epsilon}\rho\alpha\ \kappa\alpha\iota\ \delta\eta\mu\iota\sigma\gamma\acute{o}\nu$  omnium haereticorum Novi Testamenti uti indigitatur ab Eusebio. Paulus Hymenaum & Alexandrum 1. Timoth. 1, 20. Phygellum & Hermogenem 2. Tim. 1, 15. Philetum 2. Timoth. 2, 17.

Apor. 8.  
Euseb lib. 2.  
cap. 14.

XXXIII.

Ac post Apostolorum tempora Ecclesia per 300 annos plurimos haereticos Menandrum, Ebionaeos, Cerinthianos, Saturnianos, Basilidianos, Sarnosatianos, sine concilijs ex sola scriptura damnarunt. imò ipsa etiam concilia  $\epsilon\tau\epsilon\rho\delta\iota\delta\alpha\sigma\kappa\acute{\alpha}\lambda\lambda\epsilon\varsigma$ , Nicanum Arrium, Constantinopolitanum Macdonium atq; Eunomium, Ephesinum Nestorium, Chalcedonense Eutychem ex solis scripturis refutarunt.

XXXIV.

Insuper quam malè certè ageretur cum Ecclesia Dei si omnium controversiarum Theologicarum decisio non nisi ex conciliorum decretis petenda esset. Non tantum enim in infinitum probatio nostra abiret, cum posteriora semper innitantur prioribus & hac alijs prioribus, sicq; res tandem

B 2

progre-

progređatur in infinitum: sed etiam principio minus tuto  
& firmiter inniteretur, cum cōcilia sapissimè erraverint, uti non  
tantum ex recentioribus concilijs Constantiensi & Tridentino,  
quæ nihil præter puras absurditates continent, sed etiam ex  
vetustioribus manifestum evadit.

XXXV.

3 Reg. 22.

Tempore Achabi regis Israelitici nonne concilium 400.  
Prophetarum, licet perinde ac hodiè pontificij assistentiam  
spiritus magnificè jactarent, Prophetam Micheam damnando  
& Achabum ac universum Israellem approbatione belli con-  
tra Syros suscepti in presentissimum periculum conjiciendo tur-  
pissimè erravit?

XXXVI.

Iohan. 11.  
Marc. 14.

Nonne concilium tempore Christi à Caipha & reliquis  
primoribus Scribis ac Phariseis, qui tamen ipso Christo asse-  
rente in cathedra Moſis sedebant, & ordinaria successione in  
officio divinitus ordinato constituti erant, sicq; promissiones  
divinitus peculiariter ordini huic factas jactare poterant,  
quod de Papa in cathedra Pestilentie sedente affirmari non  
potest, coactum, Christum Filium DEI eiusq; doctrinam da-  
mnando, ac omnes eos qui Christum confitebantur excommu-  
nicando, gravissimè hallucinatum est?

XXXVII.

Nonne concilium NeoCesariense à Leone IV. dist. 20. Can.  
de libellis approbatum & in concilio Niceno primo ut dicitur  
in concilio Florentino sessione 7. receptum, secundas nuptias  
prohibendo, & presbyteris ijsdem interesse interdicens erra-  
vit, cuius erroris particeps etiam factum est concilium Lao-  
dicenum.

Nonne

XXXVIII.

Nonne Concilium Nicanum can. 1. prohibens eos in clerum assumi, qui seipso impatiētiā libidinis castrarunt & can. 3. volens clericos à mulierum conversatione penitus abstinere, manifestè sibi contradicit? uti annotat Lutherus in lib. de concilijs parte 1. Nonne Paulianistas ad Ecclesiam confugientes, rebaptizandos can. 19. statuens errori Cypriani aliquo modo patrocinator? Nonne can. 13. pœnitentiæ 13. annorum pœnam irrogans ijs, qui post Christianismum ad militiam se conferunt militiam penitus damnat, contra scripturam Matth. 8. Luc. 3, 14.

XXXIX.

Atque hinc Constantinus Imperator ita concilij Nicani patres alloquitur: Evangelici & Apostolici libri & veterum Prophetarum oracula, perspicuè nos erudiunt, quæ oporteat nos de Deo sentire: Abiecta igitur contentione, dissidiorum ac bellorum effectrice, è verbis divinitus inspiratis solutionem eorum, quæ quaruntur, accipiamus.

Theodor. lib. 1.  
cap. 7.

XL.

Augustinus in disputatione contra Maximinum ad concilium Nicanum provocare non fuit ausus sic scribens: Nunc nec ego Synodum Nicanam tibi, neque tu Ariminensem mihi tanquam præiudicaturus obicere debes; Neque ego huius autoritate, neque tu illius detineris: Scripturarum autoritatibus pugnemus.

XLI.

Hieronymus in epist. ad Galat. idem testatur dicens: Spiritus Sancti doctrina est, quæ canonicis prodita est literis, contra quam si quid concilia statuunt nefas duco.

A 3

Quid

## X L I I.


*Quid, quod ipsi Romanenses sui ceu obliti nobis conciliorum  
 auctoritatem in dubium vocantibus scriptura dicta oppo-  
 nunt, sicq; tandem vel invitati ad scripturas confugiunt? Aut  
 igitur deinceps scripturam unicam normam omnium dogma-  
 rum fidei nobiscum recipiant, aut si hoc nolint, quod ipsos nol-  
 le ipsa experientia edocet, suis erroribus venerandum scriptu-  
 rarum pallium obducere, hocq; simplicioribus fucum facere desi-  
 nant.*


SOLI DEO GLORIA.

F I N I S.









X

Causae motus alie externe sunt, ut ictus, casus, exagitatio ab aestu, a balneo, ab exercitatione debili, a forti contentione vocis, a motu corporis laevo, a frigore post sanguinem cibum, a subita refrigeratione. Alie interne sunt, ut immoderata copia sanguinis grauius naturam, et irritam exultantem, vel tenuis, aut feruor sanguinis. Quandoque in parte recipiente causetur aut dolor, quo fit vel angustia attractio.

XI

Ad has causas accedit imbecillitas laterum, propter quam non quidem attrahitur, sed tenuis promptius excipitur fluxio.

XII

Ex his insistentur curatio, quam Hippocrates initio experitur fomentis calidis, quod inchoat lignum de habitu corporis non phetorico, ut scilicet et morbum tollat et dolorem leniat, ne ratione doloris angustetur affluxus.

XIII

Si dolor non cessat fomentis, et phetorico fomentis  
tunc





28. Gloria in excelsis deo


||: V. In excelsis deo  
cum in caelis sit idem  
cum in terra sit idem

Calo. vng. sex anglo:

Gloriam in excelsis deo  
cum in caelis sit idem  
cum in terra sit idem

EXCIPIT





94 A 7359

ULB Halle 3  
002 625 679




Sb.

Retro  
W 17









DISPUTATIO THEOLOGICA X. 34  
De  
**AUTORITATE PATRUM  
ET CONCILIORVM,**

Quam Spiritu Sancto favente

SVB PRÆSIDIO

Reverendi & clarissimi viri,  
**Dn. LEONHARTI HUTTERI,**  
S. Theol. D. & Professoris in celebri Academia  
V Vitebergensi Publici discutiendam  
proponit

*M. ÆGIDIUS STRAVCHIVS,*  
*V Vitebergensis.*

Ad diem 7. Maij horâ 6. matutinâ.



**VVITEBERGÆ**

Typis Cratonianis per Iohann. Gorman.

*Anno M. DC. VI.*

